



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De S. Leucio Episcopo Brundusii, In Italia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

erant circa Dei verbum et fidem, verbo divino subigerent. Et hæc non latenter neque in operto facere studebant, sed palam, et manifeste obviam veritati venientes culpabant. In religiosis et ignorantibus Dei verbum ita ostendebant, ut opus eorum non vanum videretur, nec longe a spe. Et hi quidem suadebant eos ab errore discedere; illi vero qui suadebantur recipiebant cum gaudio doctrinam.

Comprehenduntur.

3 Sed ut jam ultra modum et contra decreta hos Sanctos quam plures facere sperarent, comprehensos trahebant ad judicia: illi vero Sancti nihil contradicentes sequebantur, et nec tantum cruciatus plagarum aut sugillationes trahentium patiebantur, sed et omnia *c* ad eadem eorum festinantes obviam ibant: religiosissimi et illi quidem servi Dei, his passionibus increcentes ridebant: filii vero diaboli in majore ira cumulabantur: et in contentionibus exardebant. Et quidem novissime offeruntur Judici. Judex vero respiciens eos, et de vultu et de habitu *d* verecundos, et honore dignos, stupefactus ait ad eos: Admiror vos viros, quomodo ad tantam ætatem venientes, derelinquere sustinetis: aut quomodo ipsi a merita vobis prudentiæ regula excidistis, qui alios docere deberetis, scire non possum. Vel passionem præcessorum *e* metum injiciant vobis: verecundor enim ætates vestras, et has cruciari pigritor, de habitu vestro stimulatus.

Sistuntur Judici,

Objurgantur.

Polyeuctus intrepide respondet.

4 Et hæc quidem Judex ad eos nimia *f* verecundia tactus dixit. Illi vero Sancti respondere jussi semetipsos considerantes; respondit Polyeuctus: Non est lamentationis hoc tempus. Tunc etenim nobis erat lamentandum, quando patrum nostrorum errorem sequentes, digna lamentationis opera faciebamus: tunc miserè, scelestè, atque Deo ignobiles, quando

verbum ejus nesciebamus. Ita audi nunc contraria eorum quæ dixisti: non propter nosmetipsos vererundi, nunc tibi assistimus; sed propter Deum nostrum. Non honoras nos propter ætatem, ut dixisti, sed propter verbum, cui credidimus. Itaque si condigna recti sensus sapis, depone nunc tyrannicam potestatem, et verbo Christi Domini nostri suasus liberam ceteris ingrediere viam, quæ sine errore est: salva in errore constitutam gentem, cui creditus es, sed ab homine corruptibili et tyrannica potestate conniventi. Si hanc vanam tutelam, quam ab adversariis salvare creditus es, incipies relinquere, accipies a Christo tutelam, et multo melius tibi metipsi subvenies: et ejusdem possessores magis magisque verbum docebis, et si *g* tyrannicæ legi non suadetis, ille te salvum faciet, et ejus dolores tibi vitam æternam donabunt.

EX MSS.

5 Hæc cum dixisset vivacissimus vir Polyeuctus, intolerabiliter ferebatur in silentio Principis, et jocundo quidem provocatori ad respondendum obtulit, ad poenas vero ejusdem præparabatur: quique respiciens ad prædictos sodales, ait: Forsitan et vos huic similia sapitis. At illis devotissimis viris confessis Candidiano etiam et Philoromo, tamquam ex una voce, et una lingua, et eandem professionem promulgantibus; irreligiosus Princeps respondit: Ergo eadem cum illo sentitis? similia sapitis? Et hæc dicens, questionariis Sanctos tradens, igni corpora eorum consummari præcepit.

Adjudicantur igni.

a Ms. *Velsari*, inconstit. b *Idem* ms. debili animo. c *Idem* ms. ad sedem eorum festinati. ms. *S. Bertini* ad cædere eorum festinantia. d Ms. *S. Maximini*, verendos, et forte rectius. e Ms. *Velsari*, modum. f Ms. *S. Max.* iracundia. g *Idem* ms. tyrannicæ legioni suaseris.

## DE S. LEUCIO EPISCOPO BRUNDUSII, IN ITALIA.

XI JANUARI.

S. Leucii natalis.

In Romani Martyrologii tabulas restituisse se S. Leucii nomen ex veteri ms. fuitur Baronius. Ita nunc legitur xi Januarii: Brundusii S. Leucii Episcopi et Confessoris. Martyrologium S. Hieronymi, a Laurentio monacho Epternacensi ante complura secula litteris Gothicis descriptum, 8 Januarii sic habet: Et in Brundisio Leucii.

reliquiæ.

2 Fuit olim quinto ab Urbe lapide ecclesia S. Leucii Martyris, cujus meminit S. Gregorius lib. 9, Registri ep. 73, cumque inde fuisset ablata ejus reliquiæ, alias ejusdem Sancti reliquiis ad se Brundusio mitti per Hydruntinum Episcopum jussit. Quæ de hoc S. Leucio in Notis Baronius intelligit; qui tamen et in propria Ecclesia ut Confessor et Episcopus colitur, et Confessor ab ipso Baronio appellatur. Michael Monachus in Sanctuario Capuano, Martyrem dici arbitratur, quod fidei causa tormenta tulerit, licet in iis mortuus non sit; quæ ratione S. Hyginum retulimus a quibusdam Martyrem dictum existimari. Ast qui in antiqua operum Gregorii editione a Pamelio correctæ Leucius dicitur, in recentiori, auctoritate Sacti V, emendata, Leontius scribitur; ut suspicari quis possit de alio esse sermonem. Translate deinde S. Leucii reliquiæ Brundusio Tranium, inde Beneventum; earumque pars Tranensibus et Brudusinis reddita.

Patrocinium contra pleuritidem.

3 Michael Monachus, Canonicus Capuanus, Sanctuarii Capuani parte 4, aliquot recitat Kalendaria illius Ecclesiæ, in quorum duobus primis, in Id. Januarii hæc habentur: Depositio S. Leucii Episcopi et Confessoris. In quarto S. Leuti Episcopi et Confess. L. ix, in quinto, Leutii Episcopi et Confessoris. Semiduplex. Adnotat Auctor: Concordant kalendaria et Martyrol. ms. et Martyrol. Romanum. S. Leucius habet in civitate parochialem ecclesiam apprime divitem. Ecclesiam quoque in Casertana (olim Capuana) diocesi, dantem monti vocabulum: nunc diruta est.

Solent fideles laborantes morbo (vulgo puntura) affectæ parti tegulam inde sumptam applicare. Hæc ille. Est puntura Hieronymo Victori pleuritis.

4 Acta testatur Baronius in Brundusina Ecclesia Acta. extare, sed mendis referta. Ea nos ex codicibus Ecclesiarum Beneventanæ et Tranensis ab Antonio Beaillo nostro accepimus; descripta, aut potius illustrata, ab auctore anonymo, quem ex epilogo possumus conficere Syncellum fuisse Archiepiscopi Tranensis, cui vitæ ac translationis S. Leucii historiam dedicat. Ea ut magis perspicua sit, præmittimus quæ ex Breviarii Capuani Lectionibus, et Lectionario monialium S. Joannis recitat idem Monachus; qui non Theodosii Imperatoris ætate, sed Commodi, sub finem nempe secundi seculi, vixisse censet, propter ea quæ de S. Eugenii conversione narrantur. Vitæ epitomen dat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae, ex monumentis Ecclesiæ Brundusinae, et Breviario Capuano, hymnumque, quem subjungemus, ex iisdem haustum Brundusinis officiis.

### VITA

Ex a Lectionibus Breviarii Capuani.

Regnante venerabili et magnifico b Theodosio Imperatore, cultore Dei, qui Ecclesias condidit, et præcepta Apostolorum servavit, erat orthodoxæ fidei Christianorum in totius Imperii latitudine intemerata et loculenta cultura; intantum ut omnia idola confraeta et ad nihilum redacta viderentur, et unusquisque publice et licenter Deo omnipotenti servire poterat. Quo tempore in civitate Alexandria erat vir quidam venerabilis, nomine Eudecius, simplex, et rectus, ac timens Deum; cui unicus erat filius, nomine Euprescius.

Cum autem complisset puer annos decem, mater autem

a

b Lect. 1.

EX  
SANCTUARIO  
CAPUANO.  
S. Leucii pa-  
tria,  
Lect. 2.  
institutio.

autem ejus, Euphrodisia nomine, migravit ex hoc seculo : pater vero cum filio Euprescio monasterium B. Hermetis ingressus est, et prædictum puerulum ad studium litterarum tradidit. Tantam quidem spiritualem gratiam accepit, ut in omni celeritate fortior fieret, quam ii, qui videbantur in scholis collegæ esse : et non secundum genus, sed secundum spiritum hæc agebat : sed devenerat actio ejus, ut intra monasterium nullus quidem obedientiam disciplinæ ejus potuisset superare.

Lect. 3.  
Festum Assumptionis  
D. V.

Factum est autem non post multum tempus, ut adveniente solemnitate Dei Genitricis et Virginis Mariæ, ex more Christiano celebranda. B. Euprescius cum patre suo Eudecio ac aliis fidelibus ad ejus sacratissimam ecclesiam, quæ non longe erat a monasterio, convenirent. Contigit etiam ut B. c Elenus Archiepiscopus simul cum Presbyteris et Diaconibus ibidem deveniret, et per totam noctem in Dei Genitricis laudibus perseverarent.

Lect. 6.

d Factum est autem ut B. Eudecium sopor deprimeret, et ei a Domino visio spiritualis revelaretur, quomodo ipse jam prope esset de hac vita fragili migraturus, et B. Euprescius filius ejus ad Pontificale opus accederet, et hæresim, quæ in civitate Brundisiopoli erat, per eum Dominus ad veram et orthodoxam fidem Christianitatis perduceret. In ipsa igitur visione dixit ei : Eudeci fidelissime, et decoritate præclare, ecce enim jam non Eudecius, sed Eudeclius vocetur nomen tuum, id est, mitissimus consolator, et filio tuo, quem Euprescium vocas, non Euprescius, sed Leucius nomen erit, id est, Advenit in eum spiritus Domini.

Lect. 7.  
Prædicatio  
Brundisii.

Beatus itaque Leucius cum Clericis suis veniens Brundisiopolim, erat foris civitatem contra portam partis occidentis juxta amphitheatrum, et illic docebat, et baptizabat eos, qui ad verbum ejus credebant in Christum. Tunc misit Antiochus, et fecit S. Leucium ad se cum mansuetudine vocare. Qui cum venisset dixit ei Antiochus : Si vis ut faciam credulitatem juxta tuam prædicationem, fac ut per tuam obsecrationem misereatur nobis Deus tuus, et donet nobis pluviam, quia ecce duobus annis sine pluvia esse videmur.

Lect. 8.

e Beatus igitur Leucius convocatis ad se Clericis suis et universis Christianis, fecit litanias Domini. Mox igitur ut elevavit oculos ad cælum, e tanta pluvia irrigata est, ut omnis terra Italiæ cognosceret divinitatem Dei quæ ostendebatur per B. Leucium. Interea credidit in Dominum Jesum Christum Antiochus, et universa civitas Brundisiopolis; et baptizati sunt omnes numero viginti septem millia, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, et fabricaverunt ecclesiam in honorem beatæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ, et B. Joannis Baptistæ, in media civitate, in loco ubi sanctum baptismum acceperant.

Lect. 9.

Tunc quidem confirmavit eos in fide et doctrina perfectius, et sic in pace obdormivit in Domino. Tunc quidam secundum suam visionem in eodem loco fecit sepeliri corpus venerabile B. Leucii, ubi navis descenderat, quando de Alexandria advenisset. Dormitionis ejus festiva solemnitas undecimo die intrante mense Januario celebratur, Amen.

a Hæ lectiones videntur concinnatæ ex longiore vita, quam mox dabimus; continent tamen nonnulla, quæ in ea desiderantur.

b Si vere, ut infra dicitur, ad S. Eugeniæ conversionem cooperatus est S. Leucius, verisimile est auctorem quæ de pace Ecclesiæ sub Imperatore quoyiam, puta Commodus, in antiquiore vita narrabantur, ea Theodosii imperio tenere adscripsisse.

c De S. Heleno plenius agitur in vita S. Eugeniæ 25 Decemb. Egidius Leonidelicatus Horti Carnelitani parte 2, cap. 2, Episcopum Alexandrinum et Martyrem vocat, uti et Joannes Palæopyrdorus lib. 2, operis trimerici cap. 3. In vita S. Eugeniæ dicitur Episcopum Heliopolis, quæ non admodum sane vicina est Alexandria. Ex eadem tamen vita constat haud procul Alexandria situm fuisse monasterium, sive habitationem S. Heleni.

d Lectiones 4 et 5, de Epiphania, ideo hic omisse.

e Hinc ortum habuit, inquit Monachus, antiqua illa nostre

Capuæ consuetudo, oblivioni tamen quasi tradita, ut nimirum tempore magnæ siccitatis ad pluviam exorandam, Capitulum, Clerus et populus, Litanias faciant, ad ecclesiam S. Leucii procedant, supplicesque in ea Deo preces effundant.

## ALTERIUS VITÆ FRAGMENTUM,

Ex ms. Lectionario

monialium S. Joannis, Capuæ.

Beatus autem Leucius sedens præ foribus ecclesiæ, Lect. 1.  
in annua celebritate Beatæ Virginis, cælorum gloriam populis omnibus cepit enarrare, quam recepturi sunt electi, et pœnas inferni, quas recepturi sunt reprobi.

Cumque audisset Eugenia talia loqui B. Leucium, Lect. 2.  
dixit ei : Ecce ego et hi duo fratres mei, timentes ista quæ tu prædicas, reliquimus omnem nostram gloriam, et divitias, quas obtinimus, et venimus ad conversationem Christianorum; numquid merebimur pro his bona in cælo, quæ tu prædicas et promittis omnibus istis Christianis?

Beatus autem Leucius gaudio repletus est magno, Lect. 3.  
cum talia audisset ab Eugenia, et dixit : Certe et cælorum regna merebimini, et Dei misericordiam obtinebitis, si ex toto corde vestrum animum ad Dominum revocetis, et a mundi hujus nequitia vos sequestretis. Eugenia dixit : Ecce, parati sumus, date nobis fidem vestram. B. Leucius dixit : Ita fiat, ut asseritis.

Tunc post hæc instituta, venit quidam, et dixit ad Lect. 4.  
B. Leucium : Vir Dei, Pater Elenus vocat te. B. Leucius dixit ad Eugeniæ : Expectate hic modicum, et modo vos faciam ingredi ad Dominum meum Archiepiscopum. Cumque B. Elenus expectaret B. Leucium, ut ei enarraret visionem, quam viderat; ecce B. Leucius ingrediens dixit ad B. Elenum : a Pater sancte tres eunuchi foris stant, quærentes loqui tibi, qui se dicunt ex palatio b Philippi Patricii advenisse ad concordiam Christianitatis.

Beato autem Leucio hoc dicente, surrexit gaudens Lect. 5.  
B. Elenus de lecto, et dixit : Vocate eos festinanter, c etc.

Jussit autem statim eos catechumenos facere, et Lect. 8.  
alia die ipse eos baptizavit, et vestibus monachicis eos vestivit, et præcepit, ut in ipso monasterio eos deportaret, ubi idem B. Leucius fuerat, ad ecclesiam B. Hermetis Confessoris Christi : et præcepit fratribus monasterii, ut nimum diligerent B. Eugeniæ Virginem Christi, et Protum, et Hyacinthum, et de fide sancta eos docerent.

Frates autem monasterii dixerunt B. Eleno Ar- Lect. 9.  
chiepiscopo : Scias Domine Pater, quia ecce modo plusquam septem annos habemus, quibus d sine Abbate vivimus, et unusquisque quomodo voluit, sic egit. Nam cum habuimus virum sanctum Euprescium, qui modo per voluntatem Dei Leucium se vocat, ut Pater nobis erat, qui ab infantia sua, a quo ibidem venit, nullus eum per obedientiam superaret, sed semper orantem, legentem, scribentem, et in omnibus operibus bonis perseverantem, omnes eum sedule videbamus, cum in tam bonis actibus sequebamur vestigia ejus.

Modo autem Pater, scias, quia si eum nobis non reddis, relinquimus omnes monasterium illud. B. Elenus dixit : Modo fratres mei ne irascamini nobis, quoniam ego habeo dirigere eum ad vos; et si ille vos diligit, per me ipsum ego veniam, et eum ordinabo Abbatem. Sin autem, ordinabimus alium.

a In vita S. Eugeniæ, qui eam ad Helenum Episcopum deduxit, Eutropius appellatur.

b Is erat pater S. Eugeniæ, Præfectus Augustalis Ægypti, ac postea Martyr, cujus natalis agitur 13 Septemb.

c Ita Sanctuarium Capuanum : indubie aliquid deest, uti et Lectio 6 et 7, quæ forte sunt de Epiphania.

d In vita S. Eugeniæ, Theodorus sanctus Presbyter præfectus monasterio S. Heleni fuisse dicitur. An tamen ab eo diversum sit S. Hermetis canobium, nos latet.

HYMNUS

**HYMNUS DE S. LEUCIO,**

*Ex Officiis Ecclesie Brundusinae.*

**O**ptata dies advenit  
 Exultans in deliciis,  
 Qua Patriarcha Leucius  
 Laetus migrat ad Dominum.  
 Hic clarus vitae meritis,  
 Refulgens et miraculis,  
 Pulsis procul erroribus,  
 Plebem lavat baptisate.  
 Præcepta Christi prædicans,  
 Et sanctitate radians,  
 Medelam confert languidis,  
 Functos ad vitam revocat.  
 Gaude Brundusia prolis  
 Tantis ornata titulis,  
 Sed clarior, eximium  
 Patrona habens Leucium.  
 In Brundusina claruit  
 Urbe Confessor Domini,  
 In hac relinquens terrea  
 Migravit ad caelestia.

**VITA AUCTORE ANONYMO,**

*Ex MSS. Ecclesiar. Benevent. et Tranen.*

**PREFATIO AUCTORIS**

*ad Joannem Archiepisc. Tranensem.*

**S**icut variis assueti deliciis sæpe delectantur oleribus, sic et Sanctitas vestra, Beatissime Pontifex, inter Doctorum delicias, quibus optimesatiaris, et nostra præcipis olera exhiberi. Exigis itaque, imo compellis me, ut gloriosissimi Confessoris Christi Leucii gesta, a rescissis ineptiis, congruisque adhibitis, emendando clarificem. Ardet quidem caritas Pontificalibus parere præceptis; sed pavet ignorantia, ne aggrediatur, quod digne explere non possit. Neque enim tanti oneris sarcinam perferre poterit, qui nullius scientiæ luce illustratur. At quia sollicitudinis tuæ cura est, et divinis inhærere præceptis, et Santorum agones, vel scriptoris vitio, vel doctoris inertia corruptos, ad meliorem statum mira animi alacritate corrigendo clarescere, et Christi Ecclesias mirabiliter decorare; nec diu passus es tanti Confessoris actus continentem libellum inemendatum relinquere. Sed miror, quia, dimissis præcipuis Doctoribus, id a nostra exigis parvitate, ut nuper in Archiepiscopatus, atque b synkellatus tui tempore, Beatissimi Leucii Confessoris gesta clarescant, et quo ordine gloriosum ejus cadaver translatum sit, sicut in scriptis reperi, et veridico relatu agnovi, sollicitè præcipis explicari. Et dum mentis fragilitatem considero, valde pertimesco ne, dum corrigere aliena invito, corrigenda ipse committam. Tamen quia non audeat famulus resistere Domino, quæ præcipis expedire conabor; utinam tam efficaciter, quam libenter: potens est enim omnipotens Dominus, Summe Pontifex Joannes, tuis intervenientibus meritis, et tui Confessoris, ignorantiae meæ suo lumine illustrare caliginem, et ut tuæ satisfaciam voluntati, loquendi administrare materiem.

a  
 Joannis Archiepiscopi  
 jussu scripta  
 hæc vita,

ex alia anti-  
 quiore.

b

a Ms. habebat reseptis, conjecimus legendum, reseissis, vel rejectis.

b Synellus dicitur quasi ejusdem cellæ consors. Sic olim appellabatur qui Patriarchæ, aut etiam alteri Episcopo, successurus erat, ut multis exemplis docet Græterus noster cap. 14, lib. 3. Commentar. in Codini Curapalotæ cap. 20. Fuit et politica dignitas. Capiti deinceps honoris titulus esse, et multis tribui qui forte nunquam in patriarchio habitaverant, uti nunc sunt S. D. N. Domesticus, titulo tenus.

**CAPUT I.**

*S. Leucii ortus, vita monastica.*

**R**egnante venerabili et magnifico Theodosio Imperatore, Dei cultote, qui Ecclesias condidit, ex præcepto Apostolorum servavit requisitionem de his, quos antiqui per hæresim dolose perdiderant, et per orthodoxam fidem eos acquisivit. Factum est autem temporibus ejus, ut Christianorum fides acciperet incrementum; et qui Domino servire volebat, publice sive ad prædicandum, sive ad exercenda bona opera gradiebatur. Eodem vero tempore erat vir venerabilis Alexandriae, nomine Eudecius, vir simplex et decoritate plenus, in eleemosynis, jejuniis, et orationibus, in vigiliis, in caritate, et castitate, et animi alacritate perspicuus; cujus unicus erat filius Euprescius.

AUCTORE  
 ANONYMO,  
 EX MSS.

S. Leucius cu-  
 jus, quibus pa-  
 rentibus or-  
 tus.

3 Cum autem complevisset puer annos decem, mater ejus, Eufrodisia nomine, migravit ex hoc seculo. Pater vero cum Euprescio filio suo, monasterium B. Hermetis ingressus est, et eum litterarum studiis tradidit. Tantam quidem spirituales gratiam accepit, ut in omni celeritate fortior fieret, quam hi, qui videbantur in scholis collegæ esse, et non secundum ingenium, sed secundum spiritum, ita agebat, ita devenerat actio ejus, ut intra monasterium nullus quidem obedientiam disciplinæ ejus potuisset superare. Denique cum jam esset annorum decem et octo, Fratres monasterii eum diligebant, videntes eum honestum vultu, decoritate perspicuum, sermone luculentum, obedientia simplicem, caritate largum, sanctæ Scripturæ diligentem.

Litteris insti-  
 tuitur.

4 Factum est autem, ut Pater monasterii Niceta migraret ad Dominum, tunc B. Euprescius jussit corpus ejus diligentissime collocari: et non post paucos dies Fratres monasterii congregaverunt se, ut B. Euprescium sibi Abbatem eligerent. Sed hoc ille multum confutans, non se dignum esse dicebat; et pater ejus Eudecius taliter eum monebat, ut non se dignum fateretur esse Abbatem. Cum autem esset B. Euprescius annorum viginti et quinque, dixerunt ei Fratres monasterii: Cur nos ita in necessitate perturbas, et nec teipsum, nec alium Patrem præponis? Ecce enim septem anni sunt, quibus sine Abbate sumus, ex quibus Dominus noster felicissimus Niceta obiit: jam enim ex tunc sine rectore fuimus, et unusquisque secundum propriam voluntatem vivit. Vide, ne rationem nobis facias, ne lupus veniat, et gregem Dei diripiat, jam opera tua cognovimus, et actiones tuas probavimus, quoniam dignus es hoc honore fungi. Tunc B. Euprescius ait illis: Quid mihi, et vobis, Fratres sanctissimi, molesti estis ex hoc, quod facere minime possum? In primis autem in hoc, quod monet, et regula mandat fieri, pavidus obedire non possum: secundo vero, cum nec monachus sim, nec honore Ecclesiastico fungor, et quomodo potest fieri, ut ego super vos Pater sim, cum etiam nec prædicationem vobis possum exhibere, nec quidquam in gestis monere.

Necusat mo-  
 nasterii præ-  
 fecturam.

**CAPUT II.**

*Vocatio ad Episcopatum mirabilis.*

**F**actum est autem non post multum tempus, ut solemnitas devotæ Assumptionis Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi Virginis Mariæ celebraretur, et B. Euprescius simul cum patre Eudecio ibidem adveniret causa obsecrationis Genitricis Dei Domini nostri Jesu Christi, quia non longe erat a monasterio sacratissima ejus ecclesia, in qua conveniebant omnes Christiani, qui Alexandriae habitabant, et hi qui circumquaque morabantur per vicina loca. Contigit autem, ut B. Eudecium patrem B. Eupres-

Patri divini-  
 tus revelatur  
 futurus filii  
 Episcopatus.

cii

AUCTORE  
ANONYMO,  
EX MSS.

a b

c  
Utrique no-  
men mutatur.

Voce divina  
confirmatur  
Leucius.

Aperit populo  
quomodo no-  
men sibi ca-  
litas muta-  
tum sit.

Idem pater  
testatur.

cii sopor deprimeret, et ei a Domino spiritualis visio revelaretur, et qualiter ipse ex hac fragili vita esset migraturus, et ejus filius Euprescius ad Pontificale opus accederet, et a hæresim, quæ in civitate b Brundusiopoli erat, Dominus per eum ad veram et orthodoxam fidem perduceret. In ipsa igitur visione ait illi: Eudeci, Eudeci fidelissime, et decoritate præclare, ecce enim non jam Eudecius, sed Eudeclius vocatur nomen tuum, id est, c mitissimus consolator; filio vero tuo non jam Euprescius, sed Leucius erit nomen, id est, Advent in eum spiritus Domini. Expergefactus Eudecius, vocavit Euprescium filium suum, qui statim enarravit ei omnia, quæ fuerant ei revelata, et de obitu suo, et quomodo eum Dominus alio nomine vocaret, ipsumque Euprescium jam non vocaret, sed Leucium, dixitque illi: Vide, fili, quoniam ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ adventit, tu vero ne seducaris a mundi hujus inquinamento, et a fragili nequam seculi hujus blandimento, quoniam hoc mihi revelatum est a Domino meo, quod Pontificale stemma indues, et quomodo per te Dominus hæresim, quæ in Brundusiopolitana civitate est, vult curare.

6 Eo autem silente, B. Leucius, qui antea Euprescius vocabatur, prosternens se pronus in terram, oravit, et dixit: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, et Jacob, qui non spernis sperantes in te, nec deseris misericordiam tuam ab inopia miserorum, sed misertus es mei; ideoque Domine Deus cæli, et terræ, te laudo, teque glorifico, quoniam tu es Domine, qui animas diligis: tibi sit laus per immensa secula. Amen. Cumque complexset orationem B. Leucius, vox de cælo facta est, dicens ei: Leuci, Leuci, lucidissime tam mente, quam corde; ecce nomen tuum in libro vitæ adscriptum est, et memoriale tuum non delebitur de libro viventium. Tunc in ipsa voce conturbati omnes, ceciderunt in terram, vocem quidem audientes, sed neminem videntes: sed et B. Leucius in eadem paviditate prostravit se simul cum omnibus, pallens. Omnes quidem audierant vocem, sed non sciebant unde, vel de quo diceret. Tunc quidem surrexerunt de terra omnes tremebundi, et cæperunt in psalmis, et hymnis, et canticis perseverare Domino.

7 Mane autem facto, ascendit Archidiaconus in altum, et cœpit clamare, dicens: Cui hoc nomen Leucius est? et cum tertio clamatum esset, et nemo responderet, dixit B. Leucius: Mihi hoc nomen est, quia non ab hominibus, sed a Domino meo Jesu Christo illud accepi. Tunc omnes mirati, qui eum noverrunt, cœperunt dicere: Nonne hic est Eudecii filius, et nomen ejus Euprescius est, et quomodo dicit quod Leucius sit nomen ejus? Ait autem B. Leucius: Vere, quia sic habui nomen, sed Dominus in ista voce per revelationem patri meo illud mutavit, dicens: Eudeci, Eudeci, ecce nomen tuum in libro vitæ scriptum est, et nomen jam non Eudecius, sed erit Eudeclius, id est, mitissimus consolator; qui statim subjuxit, dicens: Filio tuo, quem vocas Euprescium, jam non Euprescius, sed Leucius erit nomen. Ille autem a somno evigilans ait: Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus, et factus est mihi in salutem, vox lætitiæ et salutis in tabernaculis justorum: dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam, et narrabo hæc opera Domini. Cumque hoc dictum esset, dixit mihi ita, sicut et audistis. Cum autem talia audissem ego ab eo, cœpi gratias agere Domino meo Jesu Christo. Tunc in ipsis meis indignis precibus facta est vox illa de cælo super hanc sacratissimam ecclesiam, quam omnes audistis. Ecce in hoc ego dico, quia meum est hoc nomen.

8 Tunc omnes dixerunt: Accedat pater tuus, ut audiamus de ore ejus, si vera sunt, quæ dicis. B. Leucius dixit: Accedat. Tunc jusserunt, ut adduceretur

Eudecius, pater B. Leucii in conspectu omnium populorum, qui ibi aderant. Erat enim B. Eudecius senectute grandævus, amorum jam nonaginta septem. Tunc interrogaverunt eum, dicentes: Enarra, pater, quoniam tu nemini parcis, et neminem condemnas; non enim respicis personam quancumque. Dixit B. Eudecius: Quid vultis, ut enarrem? qui dixerunt ei: De voce illa, quæ tonuit super sanctam istam ecclesiam in hac nocte, quia omnes nos scimus, quod filius tuus Euprescius vocabatur nomine nunc usque; dicit vero modo, quia meum est illud nomen, quod audistis. B. Eudeclius dixit: Verum dicit, quia ipsius est, quoniam mihi illud Dominus hac nocte per visionem ostendit, dicens, quoniam prope esset dies obitus mei, et mihi non Eudecius, sed Eudeclius esset nomen; et de hoc filio meo dixit, ut non Euprescius, sed Leucius vocaretur nomine. Et ait mihi, quoniam oportet eum Pontificale induere stemma, et hæresim, quæ Brundusiopoli est, per eum Dominus ad veram et orthodoxam fidem perduceret. Hæc igitur ad me facta est revelatio; proinde certus sum, quoniam ipsius est nomen illud, quod audistis hac nocte. Exhilarati denique de hujus rei narratione, cuncti pariter immensas grates almifico Patri, ejusque dilectissimo Genito, sanctoque Flaminii reddiderunt, atque ab illo jam tempore in summa devotione Beatum quoque Leucium venerari cœperunt.

a Infra ostendit idololatricam fuisse.

b Brundisium, et Brundisium, promiscue appellant Latini; Græci Βρονδισιον, Βρονδισιον, Βρονδισιον, Βρονδισιον; Itali Brindisi. Urbs olim celebris fuit, ut infra dicitur, et constat ex omnibus Græcis Latinisque scriptoribus, atque ex tabula Pentengeriana, ubi primariæ urbis signo notatur. Portum habet præclarum, quo fere solo nunc, et Sede Archiepiscopali commendatur.

Brundisium.

c Hæc Eudecii et Leucii interpretatio, non est ab elymo Græco petita.

### CAPUT III.

#### Sacerdotium, a miracula.

a

Post hæc autem Alexandrinus Pontifex cœpit admonere B. Leucium, ut eum Archipresbyterum consecraret. Tunc B. Leucius ait: Non sum dignus hoc honore fungi, sed sicut placitum est Domino meo, fiat. Omnes vero populi clamantes dixerunt: Non tantum Archipresbyteratu, sed etiam Episcopatu dignus est. Tunc quidem B. Leucius ordinatus est Archipresbyter Alexandrinæ Ecclesie.

Leucius fit Archipresbyter.

10 Eodem vero tempore quidam vir Æthiops genere venit ad conversationem Christianorum, quem tenere invidus diabolus cœpit atque infestare, et antiquus hostis per os ejus clamore cœpit, dicens: Christianus esse volo. Tunc quidem tulerunt eum ad B. Leucium, dicentes: Domine sanctissime Pater, vir iste ab immundo spiritu crudeliter vexatur. Vidensque eum B. Leucius, ait: Obmutescere spiritus diaboli. Ad hanc statim vocem intremuit, et cœpit cum fletu clamare, dicens: Si ex hoc exeo, ubi ingrediar, quia non habeo meliorem hac domo? Cui B. Leucius inquit: Immunde spiritus, absens esto a plasmate Dei, et non presumas jam ibidem habitare, sed obstrictus et depressus exi ab eo, quem invidia ductus usque modo tenuisti religatum catenis tuis pessimis; et exiens, ingredere in his vasis, quæ non credunt Domino nostro Jesu Christo; nec vivificam Crucem ejus adorant. Tunc ipse demon horribilis exiit de corpore viri Æthiops per os ejus in similitudinem avis nigerrimæ, flendo, ita dicens: Quid mihi, et tibi, serve Dei Leuci? quare me habitare prohibes, et dejicis ab hac domo mea, quam ego ipse mihi acquisivi? et hoc timens, nolui ingredi cum his, qui pulchri sunt vultu, sed dixi cogitans, quia si in hanc ingredior domum, quæ est ad videndum deterima, ex hinc nemo me expellet. Statim vero consignavit eum vexillo Crucis B. Leucius, et dæmon pessimus abscessit, et amplius loqui non est ausus.

Dæmonem e catechumeno possessore ejicit.

11 Tunc

*Dæmon multos alibi occidit.*

11 Tunc quasi terræmotus locum concussit, et pergens in Ægyptum, plurimos Judæorum, atque gentilium humanæ generationis invidus fellea face succensus interemit, et introgressus civitatem in Ægyptum, in serpentis effigie pergere coepit per mediam civitatem; et si ei vel homo, vel bestia obviamur, perimebat eos usque in locum, qui dicitur Galgathæ, qui ex Syro in Latinum vocitatur piscina omnium. Factum est autem, ut B. Leucius ab Alexandria Ægyptum eadem hora transiret: qui dum pervenisset ad locum, ubi hoc gestum fuerat, et invenisset multitudinem populorum fletentem, dixit ad eos, qui illic astabant: Quid est talis fletus inter vos, et hos, qui mortui sunt, quis interfecit? At illi dixerunt: Draco ingressus est civitatem hanc et istos, quos mortuos vides, ipse illos occidit: nunc hæc hora antequam tu advenires, in mare se præcipitavit, et demersus est. Tunc B. Leucius aquam adferri præcepit, quam cum benedixisset, super mortuos coepit illam aspergere: eumque aspersa esset per manus ejus, dicit ita: In nomine Domini Sabaoth, surgite, quia non mortis vinculo, sed veneno diaboli oppressi estis, et non valetis a potentia virtutis ejus absolvi propter diabolicum pessimumque genus serpentium, quod nec vos, nec Judæorum, nec Gentilium stultitia potuit consummare: sed ideo usque modo aggredi valuit nequitiam vestram, quia cœcitas cordis vestri vobis dominata fuit. Sed surgentes reddite laudem ei, qui creavit vos. Et statim, hæc dicens, B. Leucius cum baculo, quem tenebat, tetigit cadavera mortuorum: confestim autem ad vocem B. Leucii omnes elevati sunt, et coeperunt tenere sacratissimos pedes ejus, dicentes: Quis est Deus, quem oportet adorare, nisi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quem predicat tu, Beatissime Leuci, famule ejus? Tunc in illa die tam de infidelibus, quam ex Judæis crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, quasi tria millia fere hominum, exceptis parvulis et mulieribus, laudantes, et benedictes Dominum nostrum Jesum Christum, propter signa et mirabilia quæ fecit Dominus per sanctum famulum suum Leucium ad laudem sui nominis, et baptizati sunt universi.

*Suscitat eos Leucius.*

*Plurimi convertuntur.*

*Seditio adversus Christianos.*

*De translatione S. Marci παρὰ γενεύας.*

b

12 In ipso autem tempore surrexerunt viri iniqui numero sex, Carason, et Armoen, Paragyris, et Arvalis, Algar, et Mofianus; et inierunt consilium, et dividerunt populum, et conceitaverunt bellum adversus Christianos, et fecerunt seditionem, ut non dimitterent aliquem Christianum intus civitatem habitare, sed aliquantos ejicere, aliquantos vero gladiis tradere canabantur. Interea unus ex illis, Carason nomine, ingressus est ecclesiam B. Marci, Apostoli et Evangelistæ, evaginato gladio, ut interficeret Christianos. Quem mox ut viderunt partes Christicularum, surrexerunt, et eum apprehensum ignibus tradiderunt, et universos qui cum eo aderant occiderunt.

13 Et in his seditionibus, Christi fidem nimium colentes venerunt nautæ deprædati Veneticorum genere se vocitantes, et ingressi civitatem coeperunt eleemosynas quaerere, et dabatur eis. At illi, transactis multis diebus, occulte abstulerunt b reliquias B. Marci plusquam medias, et fugam petierunt. Custodes vero ecclesie mox ut ingressi sunt, invenerunt capsam discooptam, et reliquias B. Marci minutatas: tunc coeperunt tœdiari, et murmurationem inducere ex hoc, quod sibi accidisse dolebant. Cum igitur hoc audisset B. Leucius, ab Ægypto Alexandriam rediit, et reliquias B. Marci de capsâ abstulit, et eas loco alio clausit.

a Plura, quam quæ hic narrantur, S. Leucii miracula continentur in codice quo usus est Ferrarius, de Melantia nobili muliere Alexandria ab hydropisi liberata. De Zerca (ut ipse scribit) mago ab igne combusto, cum Leucio, signo sanctissimæ Trinitatis munitus, illesus exisset. Illud de Zerca mago ignis examine convicti simul et puniti, S. Heleno tribuitur in vita S. Eugenie. Melantiam vero matronam Alexandrinam non hydropisi, sed quartana liberasse ipsa S. Eugenia traditur.

not. 145.

b Longe id postea contigit, ut 31 Januarii dicemus.

CAPUT IV.

Profectio in Italiam. Brundusinorum conversio.

Interea, defuncto Alexandrinæ Sedis Antistite, ab universa Christianorum multitudine B. Leucius a ordinatus est Archiepiscopus. At vero non post multum temporis Saturninus Præses, inito consilio, voluit B. Leucium gladio trucidare. Audientes Christiani hoc consilium, irruerunt, ut interficerent Præsidentem Saturninum, et B. Leucium divinis voluminibus intentum, ostenderent a Domino liberatum.

13 Tunc B. Leucius convocat omnes Christi fideles, et admonendo coepit eis divinam visionem ostendere, et exponere, dicens: Sciatis igitur, quia Dominus meus per visionem mihi apparere dignatus est, ut alium vobis hic ordinarem Pontificem, et ego ad Brundisium pergerem civitatem. Audientes vero hoc Christiani omnes Catholici a B. Leucio, coeperunt prostrare se ad pedes ejus cum fletu, dicentes: Pater sancte, noli nos deserere, et orphanos relinquere, et populum, quem Domino acquisisti, nequaquam spernas, sed cum agone certaminis usque ad finem perducas. Ad hæc Beatissimus Leucius, respondens, ait: Omnes vos scitis, cum adhuc essem in adolescentia mea, quod Dominus, per visionem digatus est ostendere patri meo Eudeclio, ut nomen meum commutaretur; et qualiter hoc, quo dignus non fui, fungi honore deberem, ut hæresi, quæ in Brundisio poli inest, per me Dominus dignaretur suo sancto destruere lumine, et nostri participes eos homines efficere. Ideoque Dominus meus Jesus Christus præcepit, et ab eo mihi revelatum est, ut vobis Patrem proponam, et ego exequar, quod mihi ipse mandavit. De Saturnino interea sciatis, quod persecutionem non committet in Christianos, quia in modico est vita ejus, et opinio virtutis ejus. Scitote enim, quia post meum discessum ex hac civitate ruet domus ejus, et opprimet eum cum omnibus habitantibus in ea, ita ut nunquam jam inveniatur, qui persecutionem faciat vobis dominandi. Tunc quidem secundum quod dixit B. Leucius ita actum est.

16 Interea per voluntatem Domini, ordinato illic Pontifice, ipse vero cum Eusebio, et Dionysio, Archidiaconibus suis, et aliis quinque discipulis secum assumptis, ad locum Stipitem pervenit, et cum eo universa plebs fidelium Christianorum usque ad mare pervenit fere quinque millia hominum, exceptis parvulis, et mulieribus, qui nimio ardore fletentes, dicebant: Cur nos omnes deseris Pater, et non affectum præstas infelicibus tuis servis? Tunc B. Leucius conversus in fletu et ipse, cum vidisset quod eum quasi mortuum flerent omnes, oravit ad Dominum, et dixit: Domine Deus meus Jesu Christe si est tua voluntas, non me permittas separari ab istis, inter quos me dignatus fuisti ad serviendum tibi ministrum eligere, et antequam navem ascendam demonstra tuam promissionem, quam promisisti mihi, ut credant omnes, quia per tuam voluntatem hoc mihi est exhibendum, ut ubi volueris, Domine ego velociter pergam. Audientibus quidem cunctis, qui ibidem aderant, vox de cælo facta intonuit ad eum, dicens: Leuci spiritu et actione præclare, ne contemnas, quod tibi jussum est a Domino, sed ascende navem, et proficiscere in pace. Cum igitur hoc clamatum esset ad eum, ait B. Leucius ad universos clericos et populos: Ecce proinde rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut agnoscat omnes, quia per ejus voluntatem proficiscor. Et accedens omnis ordo Clericorum, osculatus est eum; et ita ascendit navem, et profectus est in pace.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*Leucius filius Archiepiscopus. a Liberatur a morte.*

*Brundisium abiturus, alium Episcopum creat.*

*Prædicat mortem Saturnini tyranni.*

*Voce caelestis rursus jubetur migrare.*

17 Tunc

AUCTORE  
ANONYMO.  
EX MSS.

b c  
Hydruntum  
appellit, inde  
Brundisium:

d  
Deum prædi-  
cat.

Armaleonem  
Tribunum et  
alios 67 con-  
vertit.

Citatur ad  
Antiochum  
Præfectum  
Armaleon.

17 Tunc quidem navigantes diebus quindecim per-  
venerunt civitatem b Adrianopolim, et illic c adhasit  
sibi duos Sacerdotes Leonem, et Sabinum, et inventa  
alia navi de Rhegio civitate, dato naulo, ascendit in  
eam, et pervenit Hydruntum. Ibi vero coactus de-  
scendit de navi, et profecta est navis in propria sua  
accepta benedictione a B. Leucio, et ab his qui cum  
eo erant. Beatus igitur Leucius ascensa navi Dalma-  
tinorum cum Clericis suis, et veniens Brundusio-  
polim, egressus de navi, applicuit non longe ab urbe  
eadem, et interrogavit quendam de civibus, dicens:  
Quis præest dominus civitati huic? Ille respondit:  
Numquid audistis magnum Antiochum? d en iste  
præest cunctæ Italiæ dominus. S. Leucius dixit:  
Quam fidem colit? Tunc subridentes, dixerunt illi  
astantes: Et est alia fides, vel Deus adorandus,  
nisi Sol, et Luna, qui illuminat mundum universum?  
nam omnes aures possunt audire, quando voces  
eorum super nubes resonant. Quid enim fulgure  
solis celerius? quid splendidius luna? quæ futuræ  
tempestatibus indicia, et venturæ serenitatis gaudia  
manifestis signis declarant? Quibus S. Leucius,  
suspirans, ait: O miseri et ignari, quomodo a luce  
divina estis alienati? Nam lux Solis et lunæ famu-  
lantur ei; nec Deos oportet appellari, qui localiter  
currunt, oriuntur, et occidunt, in quibus nulla est  
divinitas, et cum stare non audeant, ab Oriente in  
Occidente reciproco cursu volvuntur, et quandoquid-  
dem unius nubeculæ obfuscantur caligine, ut appa-  
rere non possint, nec lucere colentibus se; lumen  
vero eorum crescit atque decrescit, tantumque  
differt ab eo lumine, quod Deus est, quem nos colimus,  
quantum creatura a Creatore, locale ab illo  
locali. Deus enim noster creavit Solem, et lunam;  
cælum, et terram, et omnia quæ in eis sunt, ipse  
lux vera, quæ illuminat omnes credentes in eum.  
Hæc lux creavit solis et lunæ lucem, et humano  
mysterio famulari permisit, ut Sol diem illuminaret,  
luna vero depelleret tenebras noctis. Si enim Dei  
nostri lucem invisibilem agnosceretis, numquam  
visibiles his luminibus colla subderetis. Tunc Arma-  
leon Tribunus inquit: Et quæ est illa lux, quam  
asseris, et oculi nostri videre non possunt? S. Leu-  
cius dixit: Christus, Dei filius, qui natus est de  
Spiritu sancto per Mariam Virginem. Cumque expo-  
sisset ei omnem ritum, quomodo natus, crucifixus,  
et sepultus, et mysterium resurrectionis, et ad cælum  
ascensus, et qualiter sedet ad dexteram Patris,  
et venturus sit judicare totum seculum per ignem,  
et reddere unicuique secundum opera sua. Audientes  
autem eum talia prosequentem, in terram se statim  
prostravere, dicentes: Obsecramus, Pater, ut facias  
nos participes vitæ æternæ. Eadem vero hora cate-  
chizavit eos omnes, atque baptizavit, numero vide-  
licet quasi sexaginta et septem.

18 Cumque hoc gestum esset, nuntiatum est An-  
tiocho, quia Armaleon Christianus esset effectus  
cum plurimis; qui misit, et fecit eum ad se adducere:  
qui cum adductus esset, ait illi: Vere, ut audio,  
Armaleon Christianum te esse dicis? cui Armaleon  
non respondit. Tunc iratus Antiochus, inquit:  
Quare non loqueris? Armaleon respondit: Et in te  
quid furibundum debet apparere, si Christianus sim?  
Antiochus ait: Ego non furibunde, sed simpliciter  
interrogo, ut dicas, quis tibi dedit istam doctrinam,  
quia cum te sapientem in nostris litteris scimus, et  
usque modo Christianorum repellebas doctrinam,  
miror, quomodo ad hoc pervenisti, ut fatearis te esse  
Christianum? Armaleon respondit: Usque modo  
cœcus fui, sed modo in claritate sum vivens. Antio-  
chus ait: Quomodo vivens? Armaleon respondit:  
Si cupis, et eam vitam cognoscere poteris. Antiochus  
dixit: Si recte eam ostendas, volo videre; sed non  
credo, quod sit vita alia, atque aliud lumen, nisi

Solis, et Lunæ. Armaleon respondit: Sol, et Luna  
non sunt Dii, sed ipse eos posuit in firmamento cæli,  
qui creavit eos, et illis imperat deservire nobis: nos  
vero convocat ad serviendum sibi.

19 Tunc vero stupefactus Antiochus, cum talia  
audisset ab Armaleone, ait illi: Quis te ista omnia  
docuit? Armaleon respondit: Quidam Alexandrinus,  
Leucius nomine. Erat interim B. Leucius extra  
civitatem contra portam occidentalem juxta amphithe-  
atrum; et illic docebat, et baptizabat eos, qui ad  
verbum ejus credebant in Christo. Tunc misit An-  
tiochus, et fecit ad se B. Leucium cum magna man-  
suetudine vocare. Qui cum advenisset, dixit ei An-  
tiochus: Si vis ut credam juxta tuam prædicationem  
fac, ut tuo interventu miseretur nobis Deus tuus,  
et det nobis pluviam, sine qua transactis duobus  
annis esse videmur. Beatus igitur Leucius, convo-  
catis ad se Clericis suis, et universis Christianis,  
fecit Litanias Domini. Mox ut elevavit oculos ad  
cælum, tanta pluvia irrogata est, ut omnes regiones  
Italiæ agnoscerent Divinitatem Dei ostensam per  
B. Leucium.

20 Interea credit Christo Antiochus, et universa  
civitas Brundisium, et baptizati sunt omnes nu-  
mero quasi viginti septem millia, ad laudem et glori-  
am Domini nostri Jesu Christi, et fabricaverunt  
ecclesiam in honorem Beatæ Dei Genitricis, et  
Virginis Mariæ, et B. Joannis Baptistæ in loco, ubi  
sacrum baptismum acceperunt. Tunc quidem con-  
firmavit eos in fide et doctrina perfectius, et sic in  
pace obdormivit in Domino. Antiochus quidem secun-  
dum visionem B. Leucii fecit sepelire corpus ejus  
venerabile eo loco, ubi de navi descenderat, cum de  
Alexandria advenisset, idemque venerabilis memoriæ  
Antiochus jussit construere ecclesiam in nomine  
ejus cum omni diligentia et dignitate, quæ dedicata  
est ab Episcopo in Idus Maii. Dormitionis vero ejus  
festiva solemnitas celebratur in Idus Januarii. Plu-  
rima autem mirabilia per eundem famulum suum  
Leucium ad laudem sui nominis omnipotens Domi-  
nus operari dignatus est, cui est honor et gloria per  
infinita secula, Amen.

a Fortassis alterius in Ægypto Sedis creatus est Episcopus, aut  
Patriarcha Alexandrini Chorepiscopus, inque ipsa fortassis urbe  
Alexandrina munus gerens Episcopale, sed sub Patriarcha: quod  
et de Philippo S. Eugenio patre dicendum videtur; cum uterque  
absti a catalogo Alexandrinorum Antistitum, diligenter atque in  
contexto.

b Non est hæc Thraciæ Adrianopolis; est ea fortassis, quæ in  
vetere Epiro erat, ut habetur in conc. Chalced. act. 1.

c Forte adjunctum legendum.

d Ignotus in historiis Antiochus, qui toti Italiæ præfuerit. To-  
tam fortassis circa Brundisium provinciam gubernavit: unde  
agrestes homines eum totius Italiæ dominum crederint; aut  
certe totam Italiam appellarint, vicinam et sibi notam regionem.

#### DE TRANSLATIONIBUS S. LEUCII.

Gloriosum, et omni devotione venerandum Beatis-  
simi Leucii Confessoris corpus, qualiter, volente  
Christo, Brundisium ablatum, et Transensibus, sit  
concessum, seriatim insinuare curabo.

Igitur postquam sacratissimum corpus hujus Con-  
fessoris apud urbem Brundisium digne traditum est  
sepulturæ, plurimisque decursis temporibus, exi-  
gentibus accolarum meritis, divinoque judicio con-  
tingit, ut præfata urbs hostili manu funditus evertet-  
retur, et quæ quondam fuerat divitiis sublimis et  
gloria, parvissimi sub specie oppidi nunc usque  
incolitur et videtur: cujus quidem ruina intieri  
eam volentium, oculis patet.

2 Eversa vero atque diruta urbe, Oratorium sancti  
Confessoris, quod foris constructum fuerat, extra  
oppidum colebatur. Unde factum est, ut quidam  
Transensium religiosi viri, divinitus inspirati, ad  
idem Oratorium, quo pretiosum pignus quiescebat,  
devotissime properarent. Cum vero pervenissent ad  
locum

Citatur ad  
Præfectum  
Leucius.

Pluviam præ-  
cipit.

Præfecto et  
alios 27000  
conversis, mo-  
ritur.

Evertitur  
Brundisium.

*Corpus  
S. Leucii au-  
fertur a Tra-  
nensibus.*

locum, ubi gloriosi Antistitis admirabile et præclarum corpus habebatur, nullumque illic reperentes, inito consilio, abstulerunt inde sacratissimum corpus, et summa cum lætitia repedantes, applicuerunt non longe ab urbe Trano, quasi stadia fere duodecim. Illic vero gaudentes, et exultantes deposuerunt venerabile pignus. Audito vero hoc, cunctus populus de sancti corporis adventione, cum ingenti lætitia festinabant videre, quod desiderabant habere. Ad hujusmodi vero spectaculum omnis ætas quæ poterat uterque sexus catervatim confluebant, laudantes et benedicientes Omnipotentis magnalia, qui suis famulis tantum actalem dignatus est destinare Patronum.

*a  
Solemniter  
Tranum  
transfertur.*

3 Tandem vero a Canusinus Pontifex cum universo Clericorum comitatu, et populorum conventu præcedentium, atque sequentium, et cum omni cautela et devotione, suscepit sacratissimum pignus, et cum lampadibus, et thymiamatibus, cum lacrymis et canticis, ingressus est civitatem Tranensem, secum afferens tantum thesaurum usque in ecclesia sanctæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, in qua deposito tanto pignore; nec mora, lætanter cives effodientes magno cum gaudio ibidem oratorium eo modo, quo idem gloriosus Confessor Christi apud Brundisium meruit, construxerunt, ubi cum omni diligentia honorifice sacratissimum ejus condiderunt corpus agentes gratias Domino Jesu Christo, qui per suum Antistitem Leucium plurima beneficia, admirandasque virtutes illic exhibere dignatus est. In loco vero, quo prius depositum fuerat sacratum illius corpus, non longe ab urbe eadem, ut præfatus sum, ædificaverunt basilicam in ejus honore et nomine consecratam, in qua devote petentes diversorum languorum suscipiunt sanitatem usque in hodiernum diem.

*Clarescit mi-  
raculis.*

4 Accidit autem post longa annorum curricula, ut gens Ismaelitarum propter delicta populorum præfata invaderet civitatem, et dirutis mœnibus, passimque per loca vicina dispersis habitatoribus, templa Sanctorum destrueret; et, quod dici nefas est, in quibus divina canebantur officia, irrationabilium animalium voces intonarent; et ubi Christianus populus vitæ cibum et potum sumebat, illic (proh dolor!) præsepia facta erant eorum, oratorium namque Beatissimi Confessoris in contempione et consultatione sine reverentia a Barbaris habebatur. Audiens itaque hoc vir quidam illustris genere, Beneventi Comes, quia venerabile et omni honore dignum sacratissimi Leucii corpus ab Ismaelitis pro nihilo haberetur, protinus eorum Principi studuit nuntiare, promittens plurima auri pondera se illi daturum, si pretiosum pignus ei daretur. Allectus vero ille auri cupiditate, tale dedit responsum, ut, si promissum aurum deferret, nullatenus contradiceret de sancti corporis ablacione, et hoc jurejurando fide affirmavit. Tunc vero idem Comes gavisus gaudio magno, dedit quod promiserat munus, et accepit gloriosissimum pignus, cum omni diligentia et alacritate Beneventum perducens.

*Transfertur  
Beneventum.*

5 Sed Deus omnipotens nolens urbem Tranensium tanto frustrari Pontifice ac Patrono, effugatis hostibus dedit requiem fessis, et diu laborantes populos respirare permisit. Et quia tantum thesaurum perdididerant, magna afficiebantur mœstitia: et cum anxie quærerent, quo pacto adipisci possent admirabile corpus, consilio habito, Beneventum miserunt, ut si vellet idem Comes, datum munus acciperet, et oblatum in necessitate sanctum corpus sibi donaret. Qui

cum multum resistens, nollet satisfacere petentibus, tunc germanus ejus, qui cum æqua lance idem beatum pignus dividerat, inquit: Si vero dederitis mihi quantum pro toto corpore paganis tribuimus, integram a me habebitis ejusdem corporis medietatem: si alias, sine tanto thesauro ad propria remeabit. Audientes itaque hoc, qui missi fuerant, quamvis tristes, tamen intra se colloqui taliter cœperunt: Melius, inquit, nobis est participes sancti corporis effici, et nobiscum partem afferre, quam cum rubore et confusione sine effectu repedare. Datoque auri pondere, susceperunt integram divisi corporis medietatem, et cum omni lætitia devote attulerunt sacratissima ipsana B. Leucii Confessoris in urbem Tranensium, ponentes ea per manus religiosorum Sacerdotum eo loco, quo prius fuerant cum omni cautela et reverentia collocata, glorificantes et collaudantes clementiam Redemptoris, qui afflictis Tranensibus populis diurnam hostium oppressionem abstulit, et concessit benignum tutorem atque custodem. Vir igitur ille non solum qui sanctum corpus, sumpto pretio, vendiderat, verum etiam qui ex eo propagati sunt in generatione et generatione, famis penuria cruciantur usque in hodiernum diem.

*AUCTORE  
ANONYMO,  
EX MSS.*

*Pars media  
restituatur  
Tranensibus.*

6 Interea Theodosius b Orietanae Sedis Antistes cum Beneventano Principe caritativam inierat amicitiam; in cujus dilectione confusus, petiit ab eo aliquantum partis pretiosi corporis. At ille petitionibus ejus satisfaciens summa cum diligentia concessit, quod fraterna devote caritas posebat: suscipiensque tanti thesauri munus magna cum exultatione apud Brundisium loco pristino collocavit.

*b  
Pars Brundisii.*

7 Ideoque, dilectissimi fratres, in hujus diei solennitate Beneventum gaudeat, et exulet Tranum, Brundisium lætetur, quia meruimus tantum ac talem habere Patronum. Idem enim beatissimus Christi Confessor cunctorum attendat affectum, exaudiat preces, et sicut in cælestibus regnis cum Sanctorum agminibus sine fine jubilat; ita et nos, qui ejus colimus celebritatem in terris, perpetuæ beatitudinis gaudii faciat esse consortes. Potens est enim gloriosus Antistes sua nos intercessione ab imminenti liberare periculis, et a futuris adversis. Rogemus itaque cum toto cordis affectu, et nostri Patroni suffragia imploremus suppliciter, dicentes: S. Leuci adjuva nos, miserere supplicantibus te, succurre miseris populorum tuorum, sentiamus patrociniū salutis tuæ in tempore nostræ necessitatis; attende vota, lacrymas respice, subveni afflictis, tuere pupillos, et viduas, protege Abbates, annue monachis, Præsules dirige, Clericos roborata, memento Christianorum omnium, præcipue Joannis c Tranensis, Si- pontini, atque Garganensis Archiepiscopi; nec non Pontificalis et Augustalis d Sinkelli, qui tua præ omnibus devotissime festa venerantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.

*Epilogus, cum  
Sancti invo-  
catione.*

*c*

*d*

NOT. 146.

a Ea Sedes cum Barensi unita nunc est.

b Uria, Ὑρία Γραβις, et Ουρία, atque Ουριανόν, vulgo nunc Oria, urbs inter Brundisium et Tarentum, Episcopalis, sub Archiepiscopo Tarentino.

c Nunc Sipontinus, sive Manfredoniensis Archiepiscopus cum Montis Gargani Episcopatu conjunctus est, at non cum Tranensi.

d Cum soleant scriptores præcipue sibi ipsis implorare Sanctorum patrociniū, verisimile est hunc auctorem Syncellum fuisse, cum solum Archiepiscopi et Syncelli peculiariter meminisse Sanctum velit.